

I. N. 7.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE

INGENIO AD
PHILOSOPHAN-
DUM IDONEO,

QUAM

CONSENTIENTE AMPLISS. FACULT. PHILOS.
IN REGIA AD AURAM ACADEMIA

P R Æ S I D E

Maxime Reverendo atque Celeberrimo VIRO,

D_N. DOCT. CAROLO
MESTERTON,

Log. & Metaph. PROFESS. Reg. & Ordin.

P R O L A U R E A ,

Modeste ventilandam fuffit

HENRICUS J. RUNGIUS,

Verb. Div. Minist. Nat. SAT. FEN.

In Audit. Maximo, Die XXI. Julii MDCCLVII.

H. A. M. C.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland, JACOB MERCELL.

I. M. V.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE

INGENIO AD
PHILOSOPHAN-
DUM IDONEO.

Quam
CONSULENTI AMPLISS. FACULT. PHLOS.
IN REGIA AC AURAM ACADEMIA
P R E S I D E


Maximo Reverendo vniuers. Lipsuensis P. P. P.
D. DOCT. CAROLO

MESTERTON.
Log. & Metaph. PROFESSOR & S. O. S. S.
P. P. P. A. U. R. A.

HENRICUS I. RINGIUS.

With the Motto: Non Satis Est
In Aedib. Maximo. Die XXI. Julii. MDCCCLVII.

ABOE, in vniuers. Lipsuensis & P. P. P. A. U. R. A.
Printed, JACOB MIERCELL.



§. I.



Mnes promiscue homines
certa quadam cogitandi & ra-
tiorcinandi facultate pollent ;
Nemo est tam infausto fidere
natus, cui donum illud cœle-
ste natura negaverit, hoc-
que unicuique mortalium ad-
eo commune est, ut neque

stirpis, neque fortunæ bonum censerit possit :
Utut autem commune hoc sit humano generi be-
neficium, non tamen ideo omnes indiscriminatim
homines philosophos fieri posse autumamus. Homi-
nis ingenium in discendis literarum studiis non pa-

A

rum

rum differt ab agro, quem noncuivis seminis generi recipiundo commodum esse animadvertimus. Nonnullos adeo felici ad disciplinarum aliquam ingenio a natura velut aptatos & præparatos observamus, ut, quamdiu in illa versantur, per ludum & aliud agendo, plus efficiant, quam alii improbo & pertinaci labore. Multi contra adcertas actiones in certo vitæ genere obeundas, non nisi asini ad lyram deprehenduntur. Hæc cum sit hominis conditio, ut omnibus doctrinis artibusve colendis ingenium tam arctis circumscriptum limitibus non sufficiat, omnino exploratione scrutinioque opus est, antequam eligamus campum in quo ingenii vires periclitamur. Non inutilem nos operam præstituros confidimus, si id genus hominum, quorum indoles capeschendæ philosophiæ idonea, paulo penitus inspiciamus.

§. II.

Philosophos in ingenio describendo in varias abire sententias, nemo nisi omnium rerum ignarus, forte negaverit. Nos voce ingenii ad philosophiam idonei, intelligimus *aptitudinem naturalem ex interiori cerebri textura succique nervosi indole ortam & institutione, consuetudine ac educatione magis confirmatam, ut aliquis res ab aliis propositas cito capere & firmiter tenere, cogitando aliquid facile in-*

venire

venire & apte componere, verum a falso & bonum a malo discernere, queat.

§. III.

Ingenium dum ita definimus, ejus vigorem a corporis constitutione, imprimis a fibrarum cerebri & succi eas rigantis temperie arcessimus, quia non puram atque a corpore abstractam rationem humanam intelligimus. Has causas a corporis dispositione petitas excipit alia ingenium acuens & confirmans, adhibita nempe industria & exercitatio. Hanc assertionem *Cleanthes* suo comprobat exemplo, quem natura tam stolidum atque stupidum finxit, ut nemo ipsum Magister in scholam suam recipere voluerit. Id quod juvenem pudore suffusum ita inflammavit, ut indefesso studiorum labore vim ingenii sui in melius commutaverit & discussis ignorantiae tenebris, nomen postea secundi in sapientia *Herculis*, unanimi omnium consensu sibi comparaverit. Taceamus alia majorum exempla, qui tanta scientiae desiderio flagrarunt, ut omne tempus perire existimaverint, quod literarum studiis non impenderent. Inde factum, ut Deo successus prosperante, defectus naturae emendaverint. Verum tamen experimur quotidie, non ex quovis ligno *Catonem* aliquem aut *Socratem* ex sculpi posse. Nonnullos natura enim ita deficit, ut in iis instruendis oleum o-

peraque omnis perdat, cuius rei locuples testis est summi philosophi disertissimeque parentis *Ciceronis*, perpaucae eloquentiae pauciorisque philosophiae *Marcus filius*, cui nec disciplina, experientia, *Magistri*, libri, neculla alia ingeniorum incitamenta suffecerunt. Quare cum videret *Cicero* te incassum in excolendo filii ingenii laborare: in haec tandem verba erumpere cogebatur: *Quid est aliud Gigantum more bellare cum diis, nisi naturae repugnare?*

§. VI.

His rite perpensis, neminem fugere potest, multas misere se decipere, qui sapientes sapientibus plerumque progenerari sibi persvadent: a subimiori principio excellentem atque egregiam mentem accessere itaque debemus. Non illam aut parentum confert nobilitas, aut vilitas loci eam excludit. Si enim patriae & incunabilis deberetur, non apud *Barbaros Anacharsis* natus esset sapiens, nec apud *Graecos Melitides* stultus. Idem quoque de illis sentiendum, qui miram ingeniorum vim a siderum influxu dependere contendunt. Quam lubrico fundamento fraudes astrologorum nituntur, permultis exemplis confirmare possemus, nisi unicum sufficeret, quod recenset *Barclajus Argid.* lib. II. Dicam, inquit, quod ego in *Morgania* vidi. Quendam haec superstitio afflaverat, ut nec uxoris cubiculum intra-

ret, nisi exploratis antea astris. Si aut cauda draconis implicabat sidera, aut ea scorpius in cinctu brachiorum corrumperebat, vel omnino quid monstri minabatur in cœtis, solus oppido dormiebat. Quid quæris? nati sunt ei liberi aliquot & omnes insani. Præfagia ex puerorum moribus de futurorum affectuum ratione haud infrequenter fefellisse experientia testatur, historiarumque monumenta nos ulla ratione dubitare sinunt. Multos ex adverso in omni literarum genere viros videas, quos sine ulla ominibus magnam doctrina sua famam sibi peperisse constat.

§. V.

QUAMVIS sapientiam sine ullo sexus, ætatis & conditionis discrimine omnibus esse datam, ita ut nemo prorsus inveniatur, qui eam capere non possit, lubentes fateamur; tres tamen ingeniorum ad sapientiam adspirantium classes constituere nulli dubitamus. Nonnulli tam felicem in se indolem deprehendunt, ut neque multos Magistros audiant docentes, neque multos libros evolvant, quomodo philosophari debeant; Horum in numero *Aristoteles* olim fuit, quem *Plato* ob ingenii sagacitatem admirabatur, eumque *mentem scholæ* appellabat. Immo ipso abeunte a lectione clamabat, intellectus abest, surdum est auditorium. Huc etiam pertinent omnia

ista ingenia, quæ artes & disciplinas in aliam con-
 jecerunt formam, & cœlestem veritatem in Eccle-
 sia ex infelicissimis tenebris produxerunt in lucem.
 Sunt & quædam felicia, sed secundæ notæ ingenia,
 quæ prompte percipiunt & memoria firmissimere ti-
 nent omnia, quæ a Magistro audiverunt. Eorum
 vero intellectus, cum sententiarum & conclusionum
 falsitatem atque dissonantiam capere nequeat, cum
 Magistro suo errare malunt, quam bene sentire cum
 aliis. Quidam ex. gr. *Batavii* Professor publicus
 philosophiæ adiit *Galileum*, rogavitque ut explicaret
 sibi, quid significaretur nomine Parallaxis, sibi jam
 prædefinito esse animo, illam impugnare, quod au-
 divisset illam adhiberi a nonnullis contra opinionem
Aristotelis de cometarum loco: cui *Galileus* leniter
 subridens: ergo *ne, Domine mi, obfirmasti animum*
tuum, ut contra illud nomen disceptes, cujus signifi-
cationem ignoras? Huic ingeniorum formæ traditio-
 ra opponuntur ingenia, quæ quidem non celeriter
 comprehendunt, sed intellectu judicioque valent &
 pertinaci labore, vigilantia, assiduitate & incredibili
 constantia, aliorum celeritatem anteverunt. Tali
 ingenio fuit *Thomas Aquinas*, qui a condiscipulis
 suis ob nimium silentium objurgatus, bos mutus
 appellabatur. Egerrime hoc ferens *Albertus M.* ejus
 Doctor cognito illius judicio, vituperationes *Thomæ*
 his verbis compeſcebat: *Bos iste mutus talem edet*
 mugitum, ut sonum ejus universus admiraturus sit
mundus. Qui ejusmodi difficilem fortiti sunt indo-

lem, uti apes ex quovis florum genere omnia ad mel & ceram conficiendam adcommoda diligenter decerpunt, ita ex lectione scriptorum summa cum attentione notant ea, quibus doctrinam suam augere possint. Exinde fit, ut reconditæ eruditionis thesaurum ex variis auctorum pratis in silentio collectum ita in suum convertant ingenium, ita suo eloquio effingant, ut omnia ipsorum & mente concepta & ityio nata credideris.

§. VI.

Memoria & imaginatione qui pollent, sed iudicii defectu laborantes, minime esse numerandos inter eos, qui ingenio ad philosophandum idoneo gaudent, jure nostro existimamus. Manifestum enim est, imaginationem & intellectum quandoque adeo sibi contrariari, ut illos, qui excellenti imaginationis vi præditi sunt, insigni ratiocinandi facultate & mentis acrimonia destitutos esse intelligamus. Per imaginationis vehementiam intellectus impeditur, quo minus cuncta lance ponderare & ab inanibus solida, vera a falsis discernere queat. Hinc narratiunculis, anilibus fabulis & futilibus commentis facile fidem adhibent. Hi tam vividis gaudent rerum representationibus, ut contra recepta omnia dogmata ipsamque Numinis existentiam tot speciosas moveant objectiones, quibus rite solvendis
se

se impares sentiant. Ex vita *Hieronymi Cardani* e-
jus operibus a *Gabriele Naudeo* præfixa novimus,
in omnibus scientiis tam egregie versatum fuisse *Car-*
danum, ut videatur natura exemplum in eo ostende-
re voluisse, majoris amplitudinis & immensitatis
doctrinæ, quam homini hucusque concedere potue-
rit. Nihilominus, cum in *Cardano* memoria & i-
maginatio primas, secundas tenuerit judicium, haud
immerito nonnulli dubitant, an summi philosophi ti-
tulum nomenque mereatur. Per imaginationis vim
mens *Cardani* dira superstitione ad ineptias usque
capta fuit, quas l'bris suis immiscuit, eaque pal-
mam laudi ejus dubiam reddunt. Non tantum re-
ligionum fata, sed & ipsius Christi servatoris nati-
vitatem ex astrorum derivare posuit non minus,
quam profano conatu ausus est. Mores *Cardani* si
rite ponderaveris, nulli dubitamus, quin *Samueli Parc-*
keri de Deo & Providentia disp. 1. p. 77. & Bud-
deo in thes. de atheis. & superst. cap. 1. §. 24. af-
sentiaris, qui *Cardanum* in numerum fanaticorum
referre non dubitarunt.

§. VII.

CUM securus fiat in scientiis progressus, si intel-
lectus formetur systematicus, modo caveamus,
ne *systema elementare*, quod primas veritates con-
tinet, erroribus sit obnoxium, ad philosophandum
quam

quam maxime idoneum esse exstimamus, qui *ingenio vel intellectu gaudet systematico*. Prærogativas quibus intellectus systematicus non systematico præstat propius intuentes observamus, veritatem propositionum multo evidentius cognosci, ubi in systema fuerint redactæ, quam ubi vulgari more tanquam scopæ dissolutæ proponuntur. Constat enim nos veritatis alicujus propositionis non convictos esse, antequam constet; & principia non sumi ad eam probandam nisi quæ certa esse jam cognovimus, & formam probationis legitimam, vix tenebit, nisi intellectu systematico instructus: id quod & a posteriori patet, cum communi eruditorum more argumenta magis indicentur quam evolvantur, ut eorum vim ac efficiam non sentiat intellectus systematicus. Sed demus intellectum non systematicum genuinam probationis formam comprehensam habere: cum tamen propositiones non eo ordine digestas didicerit, ut veritas unius per veritatem alterius pateat, unde eidem constat principia probandi, quæ sumit, esse certa, nec probationi committi circulum? Alia longe est ratio intellectus systematici. Etenim is memoriæ non infixit propositiones, nisi quarum veritatem admisit ob veritatem antecedentium, ita ut, si opus fuerit, analysin instituere possit in prima principia, definitiones, axiomata atque principia ab

experientiis claris derivata. Quodcunque igitur intellectui systematico ad dijudicandum offertur, id omne ad systema suum, quod animo comprehensum habet, refert, consequenter eadem evidentia contuetur, qua systema effulget. Quod si vero systema aliquod veritatum non habueris animo comprehensum, quod ad dijudicandum offertur ad eas referre teneris notiones nullo nexu cohærentes, quas memoriæ infixisti. Quamobrem cum de illarum veritate convictus minime fueris, sed vana saltem persuasione, animum obstinatum confirmaveris. Assensus adeo dubiis fortunæ fluctibus commissus veritatem nisi casu non attingit.

§. VIII.

Intelectu systematico qui sunt præditi, omnium facillime contradictiones vitant, ita ut præstantius contra eas remedium præscribi non possit continuo illo studio, quod intellectui in systematicum convertendo impendimus. Intellectus vero non systematicus non eadem felicitate contradictiones evitat, quam systematicus. Cum enim propositiones inter se connectat minime, sed singulas sigillatim expendat; neque

principia, quibus ad probandum eas utitur, sufficienter evolvit, resolutione in alia simpliciora facta, quod intellectus systematici proprium est.

§. IX.

PRæter usum jamjam enumeratum, quem præstat intellectus systematicus, etiam ab auctoritatis præjudicio immunes reddit philosophiæ studiosos. Auctoritas inter rationes extrinsecas locum habet, ad quas in antecessum confugiunt, qui intrinsecas minime capiunt. Intellectu enim systematico qui pollent, iidem non admittunt, nisi quod per principia in systemate contenta demonstrari potest. Judicant adeo ex intrinsecis rationibus; minime autem ex extrinsecis, non tribuentes prædicatum subjecto, nisi vi notionis ejusdem.

§. X.

PLurima adhuc quidem supersunt, quæ de intellectu seu ingenio systematico ad philoso-

phandum non modo idoneo sed prorsus neces-
 sario in medium proferri poterant: enim vero
 ex hisce paucissimis patere nobis persuademus,
 insignem prorsus differentiam, quæ intel-
 lectum inter systematicum & non
 systematicum inter-
 cedit.

TANTUM.



X

Plurima adhuc quædam suberunt, que de in-
 tellectu seu ingenio systematico ad philo-

phand-